
Theologia

Chamocki Adami: Analogismus omnipotentiae Dei, etc.

Chamocki Adami

Analogismus omnipotentiae Dei ex coelesti Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis doctrina erutus.


ANALOGISMVS
OMNIPOTENTIæ
DEI
EX COELESTI
ANGELICI DOCTORIS
D. THOMÆ
AQVINATIS
DOCTRINA
CRACOVIAE
In Cœnobio SS. Trinitatis
Ordinis prædicatorum
An. MDCXXXIX
COLLAV
DABVNT
MVLTI
SAPIEN
TIÆ EIVS
VSQVE
IN SAECV
LVMN
DELE
TV
ECCL


DEI
ANGELICI DOCTORIS
D. THOMAE
Ordinis praedicatorum
VSQVE IN SAECVLVM
LAVDABVNT MVLTI SAPIENTIAM EIVS

SAPIENTISSIMO DIVINÆ THEOLOGIÆ PROFESSORI,

RELIGIOSISSIMO ORDINIS PRÆDICATORVM PATRI,

F. AVGVSTINO DE IMMOLA,

PROVINCIARVM POLONIÆ & RVSSIÆ

COMMISSARIO APOSTOLICO, AC VISITATORI DIGNISSIMO.

Patri, & Patrono Colendissimo,

F. Adamus Chamocki Studens Formalis P. F.

HÆC quæ inter Supremi Commissariatus Tui exortum, in Augustissima Angelici Doctoris Theologia, styli officio, ac si publico præcone collegi, Adm R. P. & Patrone colendissime: interim, cùm vniuersi Prouinciæ meæ Conuentus, omnia Tibi magnifico & rerum, & verborum apparatu officia exhibent; tempore quidem, vt primùm licuit, studiorum verò contentione tanta, quantam virtuti amplitudiniq; Tuæ exequare conatus sum, ad Te libens lubensq; defero. Quod si affectum & debitum meum penitus expendis; facti causam nullam credo requiris. Amoris & subiectionis est opus, imò Apostolico Muneri Tuo, quod auspicato, duce virtute, comite sapientiâ suscepisti, applausus. Scilicet vt immaturus inter Fratres Beniamin, pio Parenti affectum, & vt pars minima, amplissimæ Prouinciæ, Tuæ nunc authoritati commissæ, non alteri præter Te vnum, lucubrationum mearum reddere debui rationem. Neq; solum hac tenui coniectura, in hanc inuitabar cogitationem, vt potissimùm Analogismum hunc meum nomini Tuo consecratum irem: sed grauissimam mihi iniiciebat vim, admirabilis ille virtutum Tuarum cin-

A nus,

nus, qui tantam Tibi in luce orbis terrarum, & arce omnium gentium Romanâ vrbe adsperserat gratiam, quantis oculorum illecebris efferre sese assolet illimis diei auspex, solare iubar, cùm nullis inobscuratum nubibus, defæcatas enascentibus radiis inornat auras. Te vnum præ multis negotiorum suorum robustum animo Athlantem Religio Sancta expetiuit, ac tantopere adamatum nomen Tuum peculiari quapiam insigniuit beneuolentiæ gemmâ, vt idem esses clarissimi Ordinis primicerius, ac Moysis nostri strenuus Aaron, cuius robore eualesceret ipse, ac humeris se Religionemq; sustentaret vniuersam. Tuo studio atq; contentione, & infelix Hæreseos lolium extirpari, & obsoletum templorum cultum renouari, & collapsam vitæ disciplinam restitui, denique antiquam Christiani nominis pietatem suscitari posse, Sancta Sedes Apostolica, non dubia spe sibi pollicebatur: propter quod, & Sanctissimo Te Inquisitionis Sacræ adscripserat collegio; & nunc Prouinciarum Poloniæ & Russiæ Commissarium ac Visitatorem suum voluit esse destinatum. Sed hæc Tua theatris dignioribus pangetur olim laus: ego in præsens, gratulari nonnisi Tuo felici fortunatoq; aduentui, & non æternum virtutibus volui statuere monumentum. Et cùm nec tanti operis dignitati sentiam me pares conatus afferre posse; Reginam virtutum omnium Sapientiam ad salutandum Te, excipiendumq; Hospitem optatissimum Thomistico de cælo euocaui. Nouit illa apprimè magnificos Magnorum virorum vultus, decumanâ difficultatum obnubilatos tempestate, iucundâ serenare eloquentiâ, & virtuti sudoreis perfusæ guttis, Dædaleam ac bene doctam, ad erigendas sibi tam magnificas moles, apponere dexteram. Quod si verò celo Phidiæ, Apellisué penicillo, aut erudito Homeri stylo ad immortalitatem ferri, magnum quondam Magnus putauit & optauit Macedo: laudari quoq; à Sapientibus non postremum, erudita antiquitas existimauit felicitatis indicium, at ipsáne sapientem inueniet quispiam sapientiorem Sapientiâ? quæ Magnis Tuis excitata virtutibus, vt est moræ impatiens lætitia, Supremum Te à Sede Apostolica Prouinciis Poloniæ & Russiæ demandatum Commissarium, non breui abolendis colorum lineamentis, neque morituris carminibus, sed ipsius Sapientiæ sapientissimis placitis celebrare, perenniq; immortalitati consecrare adlaborat. Tu saue præconceptis votis, Pater colendissime, & administram gratulationis meæ Sapientiam, quam ad Te lego, tametsi puluerulentam, de via, benigno vultu aspice. Faxit Deus omnipotens, cuius hîc virtutem adumbrare satagimus, vt & commissa exequaris felix, & viuas diuturnus.

ODE

ODE
GRATVLATORIA,

STROPHE I.

FVlgens lucerna mundi,
A luce cuius,
Pelluntur tenebræ triſtes, pulcherque dies
Illuſtrat templi faciem,
O OENOTRIA
Poſtulo ſupplex:
Quis à tua Sede venit?
Cerno, virum,
Famæ præit clarus ſonor,
Laudumque concinnum melos,
Regni per omnes angulos tonans.

ANTISTROPHE I.

QVàm limpidas virtus ge-
nas retinet, & quàm a-
micum oculum huc atque illuc blandè ſpargere ſcit,
A quo, ſuſcipiens vulnus
Viuax gloria,
Præpete curſu,
Eius decus diſſeminat.
Vrbes, domos,
Cætus graues mortalium, &
quod palpebris Sol aſpicit
Micantibus, dulci canore implens.

EPODVS I.

THeologici ſplendor chori,
Decus Relligionis ſacratæ,
Pontificis (fronti cuius ſuprema corona
Impoſita eſt, clauesq; datæ, queîs tecta poli
Turbæ terrigenæ explicet)
O celle lucidiſsime,
Patrone noſter, & Parens benigne
AVGVSTINE, Tuus decor arduus
Ante, priuſquam,
Nobis adeſt, veniſſes,
Laude præuia.

STROPHE II.

EXpergefactus Titan,
Præſentiam ſic
Teſtatur propriam, linquendo cubile maris;
Affines, cœli partes
Ornat purpura,
Sæpe virore,
Cœli peplum colore pul-
chro veſtiens,
Poſt igneum attollit caput,
Radios per omnia iaculans,
Terræque madidæ rore, riſum excitat.

ANTISTROPHE II.

ET gloriæ iubar tu-
æ, ad nos volauit
Non aliter, nam inflare tubam ſcit fama ſuam,
Tympana trudi percutere
Et callet bene
Nomen ad aſtra
Tollens, plagiſque nuntians
Licet remo-
tis, gloriam ſeruabilem:
Quam non edax dens temporis
Non ardor ignis, non aquæ profun-

EPODVS II.

da, abigent in vrnam luridam.
Inuſitati gaudii mel.
Mentes perfundit noſtras, nubemq; dolorum
Diſsipat, ac placido demulcet cuncta ioco,
Quando frigidus aſpicit
Te Axis, nec amplius fouet
In corde ſpem, quæ ſæpe fame audet ne-
care, ferocem ictum tribuendo.
Acrius ecquid?
Deſiderato quàm bo-
no carere: Eheu!

STROPHE III.

COnſcende felix igitur
POLONIÆ VRBEM
Magnam, & vota hominum complere velis,
Qui

Qui, ſtudio vnanimi optant
Te Te cernere;
Ampla cui res
A Præſide alto Eccleſiæ
Commiſſa adeſt,
Nec par humeris cuiuſque, nam
Dare Ordini oculum, & noſcere,
Sapientiæ & Pietatis eſt opus.

ANTISTROPHE III.

ORbis Monarcha ſummus,
A quo poteſtas,
Quæ cælum terramque gubernat, tota venit;
Sic ſueſcit procedere, nus-
quam virtutibus
Legeque recti
Vacuos, iubet amari à grege
Sibi fide-
li: Nam DEVM qui negligunt,
Vt negligantur ab omnibus,
Iuſtitia, Prudentia, Fides, clamant.

EPODVS III.

AST qui iugum Domini adamant,
Eiuſque iura ſancta, rectè
Concipiunt, explentq; ſimul; non talibus vnquã
Promeritus ſublatus Honor, plauſusque virûm.
Eſt nam Quid ſapientius?
Quid iuſtius? Quid rectius?
Quàm debitos habere honores illis,
Quos Mundi REX, ritè præeſſe
Conſtituit, do-
tauitque multiplici bo-
no, laboreque.

STROPHE IV.

EXpreſſa cernimus omni-
a in corde tuo amæ-
no, ſede doctrinæ ſacræ, virtutisque throno;
Quam non oſtentatio fal-
lax enutrijt,
Nec rabioſa
Authoritatis Mater I-

ra, crebrò opus
Zelo ſceleſtum contegens,
Veſtita plumâ futili,
Pinguedinis, carniſque nil obtinens.

ANTISTROPHE IV.

TV namque ſemita ſo-
phorum incedens, nec
Hanc, vel in illam partem greſſum flectere ten-
taſti, tramite ſecuro,
Vſque ad verticem
Faſtigiatum
Volare ſtuduiſti, relin-
quens poſteris
Imitanda facta, dans nouam
Dein facem, lucemque lim-
pidiſsimam, ſacræ Religioni.

EPODVS IV.

QValem figurabat canis
In ore geſtans lampadem, Pa-
renti ſollicitæ viſus per ſomnia, natum
Mundo ſplendorem factis, vitaque datu-
rum, nubeſque tenebricas
Pulſurum ab orbe nuntians.
In monte Tu poſitus igitur hoc excel-
ſo meritorum, tectaque cœli
Vertice laudum
Tundens, ſerenum ades no-
bis, iubar. decus.

STROPHE V.

QVotquot tenet viros Or-
do hic inclytus; paſ-
citque animas cœleſti cibo, lacteque ſa-
cro doctrinæ, pectora va-
na implens iugiter,
Cœlica vt aula,
Viuis decora lapidibus,
Et Margari-
tis plena, perficiat typum
Sui, nec amplius paries
Stet mancus, aut pinnaculum informe.

ANTI-

ANTISTROPHE V.

HIc cœtus omnis ante tuos pedes stra-
tus gaudet, Vastumque DEVM veneratur, eò,
Quod saluum dederit te Reg-
no nostræ arduo
Relligionis.
Quàm grande viuit commodum
Segesque re-
cti, vbi pij superstites,
Rerum ordini attendunt piè,
Ne deuiare discat à lege!

EPODUS V.

VT cymba, quando per mare
It turbulentum, nil veretur,
Saxa licet scopuliquepremant, fluctusq; feroces,
Spumatæque vndæ, Nauclerus si bonus ad-
sit, qui dirigat optimè.
Mortalium sic congrega-
tio, sub vno iure traducenti-
um vitam, perferre periclâ,
Nulla potest, si
Caput habeat, cui mandet
Sceptra, collaque.

STROPHE VI.

DEmum secunda vita
Mortalium esset,
Ciuibus æterni templi gratissima, si
Tales inspicerent alio-
rum facta, & meri-
tum, mali quos non
Pulsare fama censuit.
Qualibus hono-
rem extorquet ab alijs, Fides,
Virtus, & Innocentia,
Non verba fulminis æmula,
Pannosaque famulantium cohors.

ANTISTROPHE VI.

O millies, ac milli-
es PRÆDICATO-
RVM Felix ORDO, vitæ sanctissima lex:

In nido

In nido cuius fæcundo, generatur
Maxima cœlestis portio turbæ, viros
Cui profundos subministrat MARIA,
Semper humili veneranda poplite.

EPODVS VI.

HOs inter altiores magis,
Sic fama radians, veritas sic
Nobis veridico de Te sermone locutæ,
Ac licet ex humili, tu dicas pectore nil,
Cunctis se minimum adstruens,
Hoc vult sui despectio.
Aurum tamen splendore fulgurat, nec
Contectæ conchis gemmæ, amittunt pretium, parua semper vrtica, quamuis
Erigat caput.

STROPHE VII.

PRouinciam tuo imperio datam, feliciter instituas, commissa à Præsule summo incipe, Relligio id poscit
Tanto læta viro, cui tutè
Regimen sui concredidit,
Longoque tempore postulabit tantum, aperta corda Fratrum sunt tibi,
Ceruixque ad omnem obedientiam

ANTISTROPHE VII.

PArata, nil rebelle,
Ad vanitatem
Nil fictum, cuncti te sancto corde salutant, candorem nam referunt;
Veste & pector
Menteque munde

Dissimi-

Dissimilis est nunquam Paren-
ti filius.
Sed ecce circa aures meas
Plausus nouus circumsonat,
Vox apprecantis est Tibi AVGVSTI.

EPODVS VII.

NE. Ergo quousque circuet
Terræ papauer paruulum SOL,
Et luna herbarum frontem, dum spargere rore
Curabit, cœlique faces non amplius ho-
ras, terræ efficient globo.
TV VIVE, Tota faustitas
Præsentiam tuam beet sacratam,
Laudibus ac annis cumulatus,
Tecta superna
Post scande, semper actu-
rus diem optimam.

Avgvstinvs De Immola Epigramma.

Orbis turbo procul, rerum variæq; procellæ,
A mundo impietas, exulet ac vitium.
Poscis quare? ideo, scelerum spectacula tota
Robustè Domini percutit alta manus. *(dextrâ*
Hoc quoq; cur? de IMMOLA AVGVSTINI sacra
Immolat æterno, sacrificatq; Deo.

Anagramma Pvrvm.

Sumn' Dei Augusti mola?

AVGVSTINE Tuas cui fas conscribere laudes?
Nulli; cunctorum claudicat hîc calamus.
Errores violas, fraudes, sectasq; malorum,
Schismata fœda tuo conteris officio:
Attamen à Fratrum turba Tu quæris id vnum,
Narrate? AVGVSTI SVMN' DEI
MOLA EGO.

ANALO

ANALOGISMVS
Omnipotentiæ Dei.

I.

JNter altiſsima Naturæ Diuinæ arcana, in quibus cognoſcendis ſacrorum hominum mentes magnopere verſari debent; eximium extat ac ſublime Potentia Dei: cuius conſideratio cùm mirandum in modum, intelligentiæ conducat Diuinorum, multoſque in nobis erga Deum affectus, reuerentiæ nimirum, humilitatis, timoris ac fiduciæ excitet: iure merito à Theologis, ſuis in ſtudijs adhibetur. Quæ quantumcunque adæquatè haud valeat ab illis explicari, inueſtigabiles etenim reperiuntur eius viæ, & quis ingredietur illas? aut quomodo occurret animo, cùm ſupereminentia eius, noſtræ rationis excedat atq; eloquij facultatem? ob hoc nihilominus, ab indaganda humiliter illa, in ſacro quiſpiam eloquio, & Sanctis fundatus Patribus, deſiſtere neceſſe neutiquam habet.

II.

PVriſsimam actualitatem Dei auferre nititur, potentiam in eo adſtruens paſsiuam reperiri: Supremum etenim ille perfectionis faſtigium cùm teneat, actus extat purus, paſsibilitatis expers creaturarum: minimè materia & forma intrinſeca, eſſe & eſſentia, natura & ſuppoſito, realiter actualiter, aut ex rei natura diſtinctis, ſubiecto & accidenti, genere & differentia coaleſcens: verùm ſimpliciſsimus permanet ac perfectiſsimus, vt nulla tam ſublimis, tamq; præcipua ſit factura, Deus, cui ipſe extare valeat natura. Vnde etiam compoſitionem eam reſpuit rationis, in ſui ratione formali, quæ paſsibilitatem includit intrinſecè: haud illam tamen, qua noſter, iuxta ſuum intelligendi modum, intellectus, componit, quæ non compoſita ſunt, necnon de ſimpliciſsimis rebus format propoſitiones.

III.

JN Deo communia abſoluta, eſto realiter ſint vnum actualiter, Eſſentiæ eius, vt pote pelago perfectionis identificata; iuxta intelligentiæ tamen noſtræ rationem, aſsignamus duplicem in eo formaliter repertam, rationem potentiæ formalem; alteram producendi, qua productum realiter valet producere: (nihil quoad præſens de potentia intelligendi & volendi, abſolutè & ſecundum ſe acceptis) & alteram ſubſiſtendi, qua poteſt in aliena ſubſiſtere natura. Et illam quidem iterum diſtinguimus, in eam, quæ ad extra effectrix eſt creaturæ, & in eam, qua Deus productiuus eſt ad intra Perſonæ. Subſiſtendi verò potentiam etiam in eam partimur, qua abſolutè & communicabiliter, & in eam, qua perſonaliter poteſt ſubſiſtere, quam deinde multiplicem iuxta pluralitatem perſonarum ſubdiſtinguimus.

IV.

PErfectiſsima in Deo potentia eſt productum producendi, haud quaquam realiter actualiter, aut ex natura rei, tam ab ipſo, quàm ab eius Eſſentia atq; actione diſcreta. Producens quandoquidem Deus ſua cum quidditate, potentia atq; actione, in vnam eandemq; ſimpliciſsimam adunantur rem, quamuis ob ſummam eminentiam perfectionis & formalitatem, virtualem, atq; ratiocinatæ diſtinctionem rationis, per ordinem ad intellectum compatiantur noſtrum. Quapropter ſermo, ſi de potentia Dei reſpectu producti fiat, eam veram atque realem potentiæ exercere rationem tenendum eſt: ſi vero ſpectetur illa, per ordinem ad actionem, quæ Diuina extat Eſſentia, tunc ſic accepta haud ſibi vendicat rationem potentiæ, niſi ſecundum intelligendi modum, prout Eſſentia Dei, in ſe ſimpliciter præhabens, quidquid perfectionis eſt in rebus creatis, poteſt intelligi, & ſub ratione actionis, & ſub ratione potentiæ.

V.

SVmmè in Deo actiua reperitur potentia effectum ad extra producendi, cuius rationem nos formalem, formaliter vt diſtinctam ab actione intelligentes, haud ſolùm noſtrum intelligendi modum, verùm ipſam etiam, vt eſt in ſe, rem afficere intellectam, abſque præiudicio puriſsimæ eius actualitatis agnoſcimus, eamque ratiocinata diſtinctam ratione, ab intellectu & voluntate, atq; Scientia practica Dei cenſemus, adeo, vt eam diſtinctum extare ab illis diuinum teneamus attributum: in quo non ſolùm acri Theologica ratione, at maxima Doctoris etiam Angelici & noſtri authoritate firmamur. Quæ ratio potentiæ ad extra aliquod creatum efficiendi, ſecundum quod in Dei radicatur natura, vnà cum ratione potentiæ ad intra perſonam producendi, vnica eſt entitatiuè, nedum vniuocè, at numero etiam: quatenus verò ambæ, vt coniunguntur in exercitio operationi, ſi conſiderentur, non vniuocè, ſed per prius & poſterius enuntiatur de eis potentia, ita vt illa prior extet, quæ ad intra, eâ, quæ ad extra productum producit: etſi hæc vtpote eſſentialis & communis ſit ſuo modo illa prior in actu ſignato accepta.

VI.

INfinitam Dei extare potentiam ad extra operatiuam, non ſolùm entitatiuè, at in ratione virtutis etiam & potentiæ operatiuæ, tam intenſiuè, quàm extenſiuè, negaturum eſtne qui abeat? ex hoc nihilominus poſſe producere Deum infinitam cathegorematicè creaturam, non eſt, quare quis inferat: licet valeat maximè abſque fine, ſincathegorematicè, (vt aiunt) tam plures, quàm perfectiores, etiam iſtis, quos cernimus, effectus patrare: immò innumerabiles hoc in ſenſu mundos, pulcherrima ornatos varietate creaturarum, nouis ditatos ſpeciebus rerum, alijs præditos ac innumeris, iiſque admirabilibus operibus, quæ minimè humana valet aſſequi intelligentia, concinno ordine, tanta facilitate, & promptitudine poteſt, Summus quippe artifex, conſtruere; vt obſtare valeat nihil, quominus ad amuſsim, quæ iudicaret, ac vellet omnia, in eſſe conſtituat, atque in rerum natura ponat.

VII. Obie-

VII.

OBiectum ſuo modo, Potentiam Dei, extrinſeci effectiuam effectus, ſpecificans, Ens extat per eſſentiam, Diuina nimirum, vt à creaturis participabilis Eſſentia, ipſæ verò obijciuntur ei, vt eſſe aptæ accipere, Creaturæ: quæ per ordinem ad potentiam ſi capiantur, obiectum vtpote extantes illius, in obiectiua ſunt potentia: ſi verò reſpectu eſſe, quod accipere ab agente poſſunt, conſiderentur; in potentia illud recipiendi ſunt paſsiua. Ad hoc, vt poſsibiles ſint & dicantur, entia extare debent nominalia, rerum eſſentias importantia, vnde non contradictionem implicare, verùm habitudinem dicere debent terminorum, ſecum haud pugnantium. Et quamuis potentia Dei, circa non Ens, nihilum ſiue dicas, Enti oppoſitum participiali, verſari valeat, illud vel è nihilo ad eſſe reducendo, aut de ente in nihilum redigendo; nullo tamen poteſt occupari modo, circa non Ens, Enti oppoſitum nominali, ac contradictionem implicanti.

VIII.

VNiuerſa ſua Deus, cunctipotente valet potentia patrare, contradictionem quæ non implicant: quid enim in maxima illius vi, ſupremaque eſt poteſtate, virtute, quod plenum non ſit & efficacitate? aut aliquod tam maximum ſi extat opus, illius quo infringi valeat aut debilitari potentia? Quæ vnum eſto ſit attributum Dei, diſtinguitur nihilominus à nobis, diuina modo concipientibus noſtro, in naturæ potentiam authoris & gratiæ: item in potentiam ordinariam, atque peculiariter ordinatam, illius quod Sapientia Dei inſtituit ordinatè, atque voluntas decreuit in effectibus ad naturas conformiter illorum, cauſarum atque ſecundarum executiuam: & in potentiam abſolutam, qua poteſt omne illud Deus, contradictionem quicquid non implicat. Et ordinaria, ſpecialius etſi enuntietur ordinata, vtraque tamen eſt talis, agentis, vtpote per intellectum dirigentem, & voluntatem imperantem, at diuerſimode, vt cuilibet rem attentius hanc conſideranti, de ſe patet.

IX.

ALtiſsima extant, quæ præpotens facere poteſt Deus magnalia: è quibus pauca quædam, exili ſermone ſi licebit recenſere, omnia fatendum eſt, eum valere è nihilo factibilia efficere, in nihilumque effecta redigere, rerum vertere vniuerſitatem, varijſque verſare modis, vnum in aliud conuertere: maxima præſtantes mole ad granum conſtringere papaueris: quantitate gaudentes paruula, in vaſtam extendere magnitudinem: rapta quæque à fortiſsimis alijs motoribus mouentia, etiam ſuperiora ſiſtere: terram concutere, è ſuis conuulſam ſedibus alio traducere, montes firmiſsimos ex inſita illis naturæ lege alibi illico transferre, aut iacto findere fulmine, & in fumum fauillamq; redigere: elationes fluctuantes excitare ſuo arbitratu & ſedare marinas: aquas è duro ſilice excutere; amaras lymphas dulces efficere: cataclifmo mundum obruere: atque morula temporis rerum tranquillare vniuerſitatem: vario ſolis ortu & occaſu, diuerſas, præter has, quas ſuſpicimus, àëris ac temporis contemperationes, necnon plura alia, quæ noſtra non aſſequitur intelligentia, poteſt efficere.

X.

POtest insuper de lapidibus filios facere Abrahæ, pauperrimos adiutore orbatos de manu potentis liberare, abundantibus diuitijs locupletare, diuites dimittere inanes: quorumcunque generibus detentis morborum sanitatem, vitam mortuis restituere: eosdem reproducere numero. Prædestinatos præterea potens absolutè est reprobare: reprobatos ad vitam reducere æternam: Beatos è gloria detrudere cælesti: damnatos ex inferni ereptos voragine eadem beatificare: in peccato mortali existentes, imò condemnatos ad seipsum clarè videndum eleuare: Dæmones in malo obstinatos, ad bonum conuertere: vnum corpus in pluribus formaliter locis, sacramentaliter atque circumscriptiuè, loca materialiter si prehendantur, statuere: quæque validissima castrorum prosternere agmina. Ecquis loquetur potentias Domini? auditas faciet omnes laudes eius? Maiora alia magnificentissima effecta, captu nostro longe superiora, potest edere atque patrare.

XI.

VEstigia forsitan DEI, mortalium quispiam comprehendere, & ad perfectum vsq; Omnipotentem, suo creato ascendere obtutu attentabit? Excelsior cælo est, at quid faciet? profundior inferno, & vnde cognoscet? longior terra, & latior mari, & quomodo ad singula cognitione sua perueniet? Quocirca haud possibile potentiæ DEI est etiam absolutæ, creatus vt omnia intellectus percipiat in particulari, quæ DEVS facere potest, secundum omnes habitudines, modos & rationes eorum possibiles, non solum in verbo, at etiam extra illud maximè si cognitio ex vi cognitionis causæ elicienda est. Haud quaquam item factibilis extat ab eo creata, ipsum repræsentans adæquatè, vt est in se, species: sicut & creatus, qui per sua naturalia intellectus, vt talem videat. Gloria insuper Beatorum obiectiua augustior: Humanitas Christi, vt Verbi subsistens increati subsistentia eminentior: Beatissima Virgo, vt Deipara præstantior ac purior nequit ab eo effici.

XII.

EXcelsus in fortitudine sua adeo permanet DEVS, vt vias eius scrutari nemo valeat, nullus atque ei dicere, operatus es iniquitatem, audeat. Absit enimuero ab eo impietas, & ab omnipotente iniquitas. Nunquid supplantat ille iudicium? aut Omnipotens subuertit, quod iustum est? æquissimus etenim ille, norma sanctitatis existens & iustitiæ, eam idcirco corrumpere, nec æquitati vim afferre potest. Insuper summa veritas est, mētiri igitur non nouit: tandem vberrimus extat bonorum fons, peccare eapropter aliquo pacto non valet: neque concursu quit morali creaturam præmouere ad peccati, etiamsi vocitetur materiale, intrinsecè si fuerit malum. Arborem namque ille scientiæ mali Prothoparentibus num inclinauit? aut pomi coloratam felicitatem commendauit? vel ad esum aut tactum titillauit? Minimè: quippe ille in perditione malorum nec lætatur, nec in deficientiam illorum culpabilem, sua se ingerit causalitate; at impij ex sibi proprijs prorumpunt in eam. Optimè tamen cum hoc stat, efficaciter eum præmouere & physicè ad entitatem actus peccaminosi.

XIII.

XIII.

SIc aliqua tenui expreſſa oratione, de Potentia DEI ad extra operatiua, vt pote eſſentiali ac communi, atque in actu ſignato priori; ea, quæ ad intra extat productiua, aggredienda reſtat. Quæ licet Eſſentiam DEI identicè dicat, & ſine imperfectionibus materialiter; formaliter tamen vt eſſentia eſt, non; at vt natura eſt, maximè; quam in recto, & in obliquo, importat relationem. Suo modo illam cum Theologis geminam, generandi vtpote & ſpirandi agnoſcimus. Vtraque, quantum ad id, quod dicit in recto, ſi primordialiter, prout extat primum, quo producens producit, principium vſurpetur, diuinam importat naturam, vt radicem ſuiipſius, exercētis intellectus rationem & voluntatis. Si verò proximè, quatenus principium eſt proximum, quo productum producitur, prehendatur; naturam dicit Diuinam, vt intellectus eſt & voluntas. Quantum verò ad id, quod in obliquo includit, illa quæ gignendi vocatur, importat paternitatem; ea autem, quæ dicitur ſpirandi, relationem dicit ſpirationis.

XIV.

PRincipium Quod generans Filium, eſt Pater, in ratione Perſonæ, iuxta conceptionis noſtræ rationem, relatione Paternitatis, vt forma hypoſtatica concepta: in ratione verò valentis generare, potentia gignendi, & in ratione generantis actualiter, conſtitutus generatione. Et quamuis ſimpliciter fatendum ſit, potentiam à Patre poſſeſſam, obtinere Filium, haud concedendum eſt tamen, Filium ad generandum habere potentiam, etiamſi ad hoc, vt generetur, non careat illa: quod non ex impotentia, aut illius defectu; at maxima ex perfectione, & implicantia contradictionis in re, prouenit. An rectè verò Pater poſsit Cauſa dici Filij? & cur non, ſecundum ſupportatos ab Eccleſia Græcos? Conuenientius tamen cum Latinis, & melius Principium illius appellatur. Dicitur autem Principium totius etiam Deitatis, quia omnium eſt principium Perſonarum, per originem quêis communicatur Diuinitas.

XV.

CAtholica extat veritas, Spiritum ſanctum ex Patre æternaliter & Filio, ab vno tāquam Principio, & vnica ſpiratione procedere, adeo omnibus profitenda Chriſtianis, vt oppoſitum primi, Hæreſis, & ſecundi, parum ſit tutum in Fide. Quod vnum principium neutiquam vna eſt Perſona, quamuis vnus ſubſiſtens extet ſpirator communis Patri & Filio, natura ſuo modo & relatione conſiſtens ſpirationis: à quo vt amor duorum vnitiuus Spiritus S. prodit. Vnde eſto, in communi ſi attendatur ratio amoris, ad illam non exigatur pluralitas ſuppoſitorum, bene tamen ratione attenta mutui amoris & amicabilis. Et cum nulla alia ratio, Diuinas realiter diſcriminans Perſonas, præter hanc, quod vna ſit ab altera, reperiatur: Spiritus idcirco Sanctus, ſi non prodiret à Filio, haud diſtingueretur realiter ab illo.

XVI.

ACtiones à potentijs, generandi videlicet & ſpirandi, ſecundum rationem elicitæ, formaliter & in recto important non ſolas relationes, verùm abſolutum,

ſolutum, naturam nimirum Diuinam, vt ratio extat formalis actionis. Quamobrem potentiæ actus generantis intellectualiter, eſt dictio, quæ locutio eſt & intellectio mentalis: ſpiratiuæ verò eſt velle ſpirans, quod amor etiam dicitur actualis, ille eſt & vocatur generatio; hic verò non, bene autem amoris ſpiratio. Ambo haud addunt diſtinctam rationem formalem actionis, realiter actualiter, aut ex rei natura; imò nec ratiocinata diſtinctam ratione, ab ipſis intelligere & velle eſſentialibus: quæ non ad eum, includunt in ſe modum, quo inferius includit ſuperius: at ſicut vna ſine modificatione ratio, in conflato includitur ſuiipſius, cum modificatione acceptæ: & ſic ratione diſtinguuntur ratiocinata, ſicut includens & incluſum.

XVII.

NVm DEVS Pater generet volens Filium, vel nolens, quiſpiam ſi percontabitur, quidni? Hæc ſi voluntas generationem Filij velle, tanquam obiectum & cõcomitans aſſeratur, quæ etiam à coactione poteſt dici libera & defectu, haud à neceſsitate tamen fæcundiſsimæ naturæ. Voluntas igitur tam vt natura, quàm vt libera, ad vtrumlibet cum indifferentia permanet, non principiat, ſiue principaliter dicas, ſiue ſecundariò, tam vt applicans potentiam generatiuam, quàm vt potentia generans Filium: verùm vt natura eſt, complacet ſibi in generatione illius, quæ complacentia, vt communis, eſt prior generatione Filij. Spiritus autem S. per modum procedit voluntatis, imò & libertatis oppoſitæ violentiæ, remouẽtis miſeriam & triſtitiam (arcentur quippe procul iſta à Diuinis) non verò conſtituentis indifferentiam: quapropter haud concedendum eſt, eum prodire liberè, indifferenter, ſed neceſſariò, naturaliter, voluntariè tamen.

XVIII.

COnſiderata aliqualiter & delibata potentia cum actione ad intra productiua; actionem ad extra potentiæ operatiuæ iure cognoſcendam Theologus aggreditur. Et eſto Deum in alto quodam otio degere, nihilque extra ſe operari, haud ſolùm impiè, at ſtultè etiam commenti ſint aliqui: veritas nihilominus permanet certiſsima, ex ipſo, per ipſum, & in ipſo eſſe omnia. Maximè vtpote ille Ens extat per Eſſentiam, quodlibet idcirco aliud à ſe, nonne cauſabit Ens per participationem? Ex triplici ipſi conuenienti cauſalitate, finali nimirum, formali extrinſeca, & effectiua; in præſentiarum ſola effectiua, quæ actio extat eius, ad extra potentiæ operatiuæ à nobis vſurpatur, qua vniuerſalis rerum vniuerſitatem condidit omnium Conditor Deus; inter quæ, aliqua creauit ex nihilo, & aliqua nouo efformauit ac ſingulari modo: quæ productiones, multoties licet nomine exprimantur Creationis, communius tamen priori, nomen Creationis à Theologis adaptatur.

XIX.

ACTIO hæc ad extra exequentis potentiæ, efficientiam effectus, haud intellectio eſt & volitio, dependentia aut effectus, puraué relatio, vel tale quid, quod eſſe exigat ſubiectiuè in effectu: at actio eſt, cauſalitas ſeu diuina, quæ eius eſt eſſentia, cum relatione rationis ad effectum, minimè reſpuens formalem

formalem actionis transeuntis sine imperfectionibus denominationem. Multiplex iuxta cōceptionis nostræ rationem in re fundatam potest aſsignari; vnde Creatio, formatio, eductio, conſeruatio, conuerſio, reproductio, annihilatio, necnon alijs pluribus formalibus rationibus, actionum poteſt appellari, ſecundum quas pluriuarios effectus præpotens patrat Deus. Creatio ſoli Deo conueniens non eſt mutatio, niſi ſecundum intelligendi modum, nec conſtitutionem dicit rei ex præexiſtentibus principijs, verùm totam cum illis producit ſimul rem.

XX.

EFfectus ad extra Potentiæ DEI agentis eſt Mundus, quem ſuaptè natura aliqui, vi ac poteſtate talem, ex omni eſſe æternitate, qualis nunc reperitur: cæteri fortuita athomorum cohæſione extitiſſe & coagmentatione, imperitè philoſophati ſunt: exactiùs cum à DEO reliqui, libertate effectum voluntatis, exiſtimarunt: nî enim ille libero ſuo decreto, rerum in tempore productarum decreuiſſet ſeriem, illa ad lucis etiam eſſe haud prodijſſet. Etiam æternum hoc conditum modo, argumentationi indulgentes ambitioſæ, artificioſæque, multi cenſuerunt Peripatetici: eum nos ex nihilo factum, in principio temporis ab eo cæpiſſe, firmiſsimè tenemus Catholici. Illum dum creauit, multiplici creaturarum & ampla compage, atq; variegato ſpirituum, corporum, motuum, & temporum complexu condidit, iugique ſuo indiuulſè ſeruat in fluxu ac tuetur: qui quoad permanentia, poterat eſſe ab æterno, non tamen quoad ſucceſsiua.

XXI.

EA vniuerſi cum extet perfectio, vt Conditori, à quo prodijt, ſua vt poſtulat, aſsimiletur conditio; in eo exinde intellectiles gradus, alijs præſtantes Creaturis, non ſicut actus puros, nudas aut potentias, ſed medios, potentiam commiſcentes cum actu, adeſſe neceſſarium apprimè extat, Angelicum ſcilicet & humanum. Angelicus ſanè actu quamuis & potentia, eſſe & eſſentia realiter diſtinctis, natura & ſuppoſito, conſiſtat, corporis nihilominus expers eſt, ab omnique immunis materia phyſica, pluralitatem ſub vna ſpecie omnino reſpuens indiuidualem. Intelligit & vult intellectu & voluntate, intellectione & volitione, ab eorum realiter eſſentia diſcriminatis. Deum equidem percipit intellectualiter, & ſeipſum tantiſper ſua eſſentia vicem ſpeciei intelligibilis impreſſæ gerente, non tamen expreſſæ, quam, vtpote ſuum accidens producit: alia verò per ſpecies ſibi à Conditore largiter infuſas intelligit.

XXII.

HOmo peculiaris Mundi portio, ijs magna quorum congeritur moles, comparatus, ingenti coruſcat decore: ſtirpsquidem ille non terrena exiſtens, at cæleſtis, vetuſto dicto vt proditum eſt, animam obtinet rationalem, intellectiua pollens & volitiua virtute, DEI Creatoris ſui exaratam habens

 imaginem.

imaginem. In qua simpliciter eum licet superet Angelus; secundum quid nihilominus ille eminet Angelo. Imago Creationis quoad essentialia, in vnoquoque etiam peccatore saluatur homine, deturpetur quamuis peccato, atq; obscuretur. In illa specifica si eius ratio attendatur, vir cum muliere parificantur, secus si indiuidualis atque accidentalis; hac enim ratione, vir, DEI; mulier autem imago (virago siue dicas) extat viri. Tandem in recreationis imagine, & similitudinis gloriæ, multoties se superant ac æquantur.

XXIII.

ANgelus haud solùm, præstantibus redimitus est cum homine naturalibus, verùm ad altiorem etiam ambo, supra illorum naturam, à Deo authore excedente naturalia, ordinati remanent finem: quem ad capessendum suæ ab illo consortio naturæ, ac adiutorio gratiæ eleuati, roborantur; & cur non prædeterminentur etiam physicè & præmoueantur, illorum iuxta modulum? Trahit ille siquidem eos amoris illicio, non seruitutis violentia: vnumquodque, etenim ordinauit ille, vt indita vel infusa Minerua suam assequatur felicitatem; ratione cuius, dum in creatura virtute quidpiam operatur sua, ad amussim illius se attemperat: sic ille sole non tenebrat, nec refrigerat igne, nec desiccat aquâ, sed vnicuique suam actionem suauiter contemperat, vt & nullum à propria cooperatione excludat, & modo cuiusque, illius exequatur conatus.

XXIV.

SVpernaturalibus præterea virtutibus Theologicis, Fide, nimirum, Spe, & Charitate, suis in statibus ab eo condecorantur: quarum prima, circa Deum actuali omnium suprema veracitate, tanquam formali sub Qua ratione constitutum, operam ponens, vtque non importans statum de facto obtentum, apprehensa, ad particulares etiam extenditur reuelationes, secus, si vt Catholica extat, consideretur: Resolutioque eius finalis, tanquam in rationem assentiendi formalem, in testimonium primæ in dicendo veritatis, facienda est. Secunda verò importat in Deum, bonum vt extat arduum, speranti proprium, propensionem; qua, ex reuelante Deo, suam quispiam sciés reprobationem, atque omnium auxiliorum priuationem, haud tenetur sine peccato sperare. Tandem tertia amicos constituit Dei, cuius tam actus, principiumué formale Quo, nequit esse increata dilectio Dei.

XXV.

COElum sicut caduca corpora stabilitate excellit & perpetuitate, ita celsissimam etiam sedem inter illa occupat. Multiplex reperitur, vt cæli cælorum, suum laudare factorem, meritò proclamentur. Inter eos plures varijs citi motibus, Empyreo quiescente, mutuo se omnes connectunt complexu.

Materiam

Materiam ſpecie à noſtrate diſtinctam poſsident, inferiorumque præſunt motibus. Omnes ſimul quoad ſubſtantialem entitatem creati ſunt, & quoad peculiares influendi in ſublunaria virtutes,progreſſu temporis facti à Sacra exprimuntur Scriptura. Liquidos illos eſſe, quiſquis de illis rectè ſentire ſatagis, exiſtimare caueto: atque vt volucres áëra, ſic aſtra ſecare cælos non confingito; at ſolidiſsimos extare diſcito. Aquas dum ſupra illos, eſſe, Diuino Eloquio percipis, has noſtras non adſtruito, naturam ſi cælorum vt exigit, ſecus ſi aliter concipis: verùm aqueum cælum, diaphanumuè, aut aquas vaporabiliter, ſupra àëreos eleuatas cælos, teneto.

XXVI.

ETiam inter præclara Potentiæ Dei facinora, obtutu noſtro iucundiſsimum eſt lumen, vt iure ſol in aſpectu, ratione illius, vas admirabile, opus Excelſi pronuntiatus; nec temporum modo, ac elementorum etiam moderetur, quaſi rector variam contemperationem. Luminaria quippe, annon vt præeſſent diei & nocti, condita ſunt? vices temporum idcirco, annumque temperant renaſcentem atque ſerenant. Adſtipulantur illis, in ſpatioſa cæleſti regione, ſtellarum ordine diſtributi chori quorum aſpectus, diſcurſus, efficientiæ extant mirabiles: effectrices quippe ſunt tempeſtatum, nimborum concitatrices, incitatrices ventorum; in quibus naturæ author, adeo pulchram vniuerſi exhibet machinam, vt ipſe varius cælorum aſtrorumque motus, appareat concentus eſſe & harmonia, rerum inter ſe inæqualium, mirifica cum proportione; ex imparibus magnitudinibus, diſparibus facultatibus, quaſi ex diuerſis vocibus ad harmoniam compoſitis.

XXVII.

ELementa quoque ſub cælis potenti ſua vi Conditor vniuerſitatis creans, ſuis in ſphæris conſtituit, illaque contulit eis omnia, quæ natura illorum requirit & inclinatio. Ignem vtpote præſtantiorem ſublimius collocans, in eo miranda patrat opera, à noſtrâ aliena cognitione. Sub eo àër tres in regiones partitus; quæ efficiuntur in eo, quis ſatis quit intelligere? differentes namque nubes, quarum euanidæ quædam ſunt & infæcundæ, quædam quæ pluũt, grandinant, ningunt, & pruinant: tonant aliæ, fulgurant, fulminant, mortaleſque territant: ventos aliæ, & quædam luces, & tenebras reliquæ pariunt. Diſcrimina item ventorum, quorum quidam exagitant tellurem & infeſtant, demulcent alij & delectant, nubes quidam adducunt, & quidam diſpellunt: fremunt alij, ſibilant reliqui, atque alia plurima eaque diuerſiſsima Metheora, in eo ſuis efficiuntur temporibus.

XXVIII.

ABysſus aquarum ſpatioſiſsima, ex Diuina etiam Potentia, rerum optimarum fæcundiſsima effectrice, mundi in creatione, poſtquam in natura extitit re-

titit rerum, terram sua circundans amplitudine ambiuit: at commoda vt relinqueretur terræ animantibus habitatio: Dei postmodum iussu, in certa congregata est spatia, in queis tanquam fascijs conclusa suis terminis, prohibetur, ne in latus vllum, neque sublime extra illos efferatur. Partes aliquæ terræ, quamuis sublimius quibusdam eius partibus existant, maior tamen pars illius eleuatior est, & terræ depressior. Ipsam tandem terrræ molem ingentem, in definita proportione cæteris cum elementis, atque ad eam partium dispositionem, quam ædificium postulat affabrè extructum, effecit; arteque stabiliuit mirabili, dum partes illius, montes scilicet, valles, planicies, ad lineam directionis, & ad centrum grauitatis exegit, quod reliquorum cum corporum circumferentia contemperauit.

XXIX.

ESSE Deum, præesseque tanquam Monarcham Mundo, atque pro suo regere vniuersa imperio, ius supremum est. Opificium quippe non negligi ab opifice suo ac fabricatore, vrget acris ratio. Pater enim, vt sua permaneat progenies, si attendit; annon Summus rerum Conditor, diuturnitati à se conditorum consulit? arcens, quicquid noxam damnumué illaturum videtur: conferens contrà, vtile quicquid commodumque requiritur. Vniuersa itaque tam supera, quàm infera, tam cælestia, quàm sublunaria; cursus orbium, temporum metas, motus corporum, nutus mentium, incrementa rerum & decrementa, pulcherrima ratione moderatur; idque tam vigili cura, vt ne puncto quidem aut momento, omnes & singulæ Creaturæ valeant ab illius obsequio declinare aut cessare.

XXX.

NOn solùm ipsemet Omnipotens vniuersitatem Creaturarum conseruando, seipso gubernat singula, at medijs etiam alijs creaturis, hoc idem haud minus efficaciter, quàm suauiter præstat. Ab illo si quidem deriuata Angeli virtute, mirandos, mundoque haud solùm spectandos, verùm vtiles, in elementis etiam, & elementatis, affectus ad commoda mortalium efficiunt: nunquid ipsi non administratorij appellari gaudent spiritus? dum fidei, nos pusillos, suæ commissos, custodiunt & dirigunt; mandata Diuina ad nos perferunt; Dæmonum contrarias nobis potestates debellare ac arcere satagunt: Imperia, regna, & principatus pro DEI arbitrio mutant, & ordinant dignitates: Rerumpublicarum præsides & Potentes splendidiore radio illustrant, roborant potentiore virtute, consilio acriore instruunt, pectora animis & corde implent, animos afflatu meliore animant & excitant.

XXXI.

POtentissimus etiam extat DEVS, subsistere in natura creata, non accidentali, solaue materia, omni spoliata fõrma; & in quacunque substantiali, immu-

li, immuni à peccato; corporalis ſiue illa ſit, aut ſpiritualis; rationalis vel ſine ratione: ſecundum ſuam ſubſiſtentiam, vniendo ſe ei ſubſtantialiter. Cuius non actiua eſt huiuſmodi potentia, nec paſsiua; ſed ſubſiſtentialiter terminatiua, ipſi ſoli conueniens. Ea, qua abſolutè valet ſubſiſtere & communicabiliter, non hypoſtatica rigoroſè eſt, ſed ſubſiſtentialis: vnde vnitus Hic DEVS, hoc ſubſiſtens, modo alicui Creaturæ, perſonale illi nequaquam, bene verò ſubſiſtens exhiberet eſſe: cum illo idcirco poſſet propria illius Creaturæ compati perſonalitas. Illa verò, quæ hypoſtaticè poteſt ſubſtantiam Creatam perſonare; ratione relationum, proximè conuenit ipſi & immediatè: non ſolum ſingulis ſeorſim perſonis, at omnibus etiam ſimul ſumptis; adeo vt haud ſolùm vna perſona plures, imò quamlibet poſsibilem; verùm etiam omnes ſimul perſonæ valeant vnam ſuppoſitare naturam ſubſtantialem Creatam.

XXXII.

INcommunicabilitatem alteri, cùm Perſonalitas creata, in ſua importet ratione formali; implicat eapropter contradictionē, eam etiam increatæ alteri perſonalitati vniri, tribuat vt illi ſuum effectum formalem: imò & naturam ipſam reduplicatiuè, ſi, vt perſonata eſt, capiatur; ſpecificatiuè cæterum, & creata perſonalitate concomitanter ſe habente, naturā creatam, propria perſonatam hypoſtaſi accipiendo; eſto non poſſe, abſoluta attenta DEI potentia, ab eius ſuppoſitari perſonalitate, doceant multi amici, magis tamen oppoſitam ipſis amicam veritatem amplecti fas eſt: nulla ei cùm obſtet contradictio, aut Angelici Doctoris valida authoritas & ratiocinatio. Cuiuſmodi autem extet vnio, qua creaturam ad eam potis eſt ſocietatem cum ſeipſo, inperſcrutabilium patrator eleuare DEVS, vt vnum per ſe conſtituant, immeritò deſudant multi, illam ſubſtantialem vt negent modum, ſolam creaturam afficientem intrinſecè. Verum hæc ſicut pretioſa eſt res, ita ſupereminet ſpecioſis etiam intellectus creati rationibus. Ineffabilem igitur eam potiùs admirari, quàm effari, quis non nitetur? In qua Benedictus ſit DEVS in æternum & vltra.

Procelloſos

Procellosos contrarietatum turbines, ad iubar Solis Thomistici pro viribus serenare conabitur, idem F. ADAMVS CHAMOCKI, Assistente R. P. F. CAROLO KVROPATWA, Sac. Theol. Lectore, ac in Generali studio Cracouiensi Ordinis Prædicatorum, Studentium Magistro. CRACOVIÆ ad Augustam SS. Trinitatis Basilicam, Sole supra Millesimam sexcentesimam à partu Virginis emetiente periodum. Mense Die Hora

D. O. M.

Virgini & Parenti nostræ Clementissimæ, SS. Dominico, Hyacintho, Thomæ Aquinati, Patronis, vniuersæq; Cælorum Curiæ Gloria & Gratia.

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Francisci Cæsarij.